

90. Quam mortalium summam calamitatem. scriptura nullibi non verbis & phrasibus maximè significantibus exprimit: ut videre est. Gen. 5. 3. c. 6, 5. c. 7, 18. &c. 8, 7. c. 8, 21. Job, 14, 4. 6. 15, 15. Ies. 1, 6. Rom, 3, 23. c. 5, 12. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 3, 5.

91. Quod perpendens Apostolus, in tragicam illam exclamationem erupit: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius Rom. 7, 24.

92. Facebat ergo ea impietas, quæ originalem hanc corruptionem, minutum saltem peccatum esse definit: quin potius ex hoc eius effectu maximum ac atrocissimum illud esse statuamus, quippe quod aditum cœlestis regni, universo generi humano intercludit, ac æternæ damnationi illud adjudicat.

93. Neque est, ut Semipelagiani isti litem nobis moveant, de infantibus, quasi hi corruptio-  
nis huius sint expertes, quippe in quos voluntas, quæ tamen vel maximè ad definitionem peccati constituendam requiritur, per etatem nondum cadere possit: quemadmodum argutati fuerunt Confutatores huius Articuli, in ipsis Comitiis & postea argutari voluit Iohannes Cochlaeus:  
Harm. Fabr. pag. 22. b.

94. Frustra enim (ut de suo hoc nobis Augu-  
stinus largiatur) ideo putas parvulis nul-  
lum esse delictum, quia sine voluntate,

L. 5. quæ

Aug. I. 3. c.  
5. contra  
Iul. Pelag.